

## Argumentum operis.

**I**DEM, Spem, & Charitatem, populi Christiani diuitias, Ecclesiæ Catholicæ robur præcipuum, & firmamentum, fidelis animæ insignia longè clarissima, æternæ beatitudinis certissima pignora, vnicum peregrinationis nostræ viaticum & solamen, virtutum omnium principes, & inter bona omnia quæ à Deo Opt. Max. & homines & Angeli susceperunt (excipio vnionem hypostaticam) maxima, est animus in præsentiarum pro virili parte illustrare, & earum ingenium, naturamq; & conditiones edisserere, & deinde ad cæterarum virtutum, quæ ex tribus hisce originera ducunt, explicationem conari. Rem planè difficilem, sed gratissimam: & quæ difficultate sui non minus me terruit, quàm dulcedine & suauitate appulit ad scribendum. Rem inquam, cuius difficultates superare intellectu nemo poterit, nisi eius dulcedine antè gustata, voluntate ad eius fuerit assequutionem conatus. Quis enim valeat quispiam virtutum harum effecta explicare, nisi eas exactè cognouerit? cognoscere autem exactè qui poterit si eas non degustauerit & habuerit? habere autem & habitas conseruare, citra magnam diligentiam, & Dei singularissimum beneficium nemo potest. Quam obrem, quod ad partem istam atinet, diffiteri non possum id, quod à nostro A Egidio Romano traditum, & ab alijs secundum ipsum approbatum est in prologo sententiarum, Theologiam, scilicet, nostram scientiam affectiuam esse potiusquam specularicem. Vtinam ergo qui nobiscum strenuam Theologiz nauant operam, fidem, spem & charitatem affectu priùs, & amore, quàm mente & ingenio apprehendere molirentur. Verùm quoniam mei muneris nunc non est corruptissimorum seculi morum correctionem curare, conabor (quod mei est muneris) virtutes has eatenùs scriptis meis exornare, quatenùs lectoribus sint ingenti & pretio & amori. Videor autem mihi his pauculis verbis iam legentium & beneuolentiam & attentionem captasse. Adde quod virtutum harum vel sola nomina rapiunt omnium animos, & ad lectionem, & inquisitionem sui vehementer accendunt. Sed ne te, lector studiosè, ad rei huius meditationem anhelantem, diutiùs detineam, omitto alia, & ad voluminis lectionem, quod iam iam sequitur, te remitto.

